



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

DXVIII. Papst Leo bestellt Joachim Klitzing, Geistlichen der Havelberger Diöcese, zum Coadjutor des Dompropstes Friedrich Britzke zu Brandenburg, am 9. Jan. 1514.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

DXVIII. Papp Leo beſtellt Joachim Klitzing, Geiſtlichen der Havelberger Diöceſe, zum Coadjutor des Dompropſtes Friedrich Briegle zu Brandenburg, am 9. Jan. 1514.

Leo epiſcopus, ſeruus ſeruorum, Dilecto filio Joachim Clitzingk clerico hanelbergenſis dyoceſis Salutem et apoſtolicam benedictionem. Circumſpecta ſedis apoſtolice prouidentia ad ea libenter intendit, per que beneficiorum eccleſiaſticorum preſertim dignitatum in eccleſiis Cathedralibus poſt pontificales maiorum indemnitatibus conſuli poſſit, ad illos quoque dexteram ſue liberalitatis extendit, quos ad id propria virtutum merita multipliciter recommendant. Sane pro parte dilecti filii Friderici Bretzke, Prepoſiti eccleſie Brandenburgeniſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tam ipſe ob podagram et alios nonnullas infirmitates quibus grauat Prepoſituram dicte eccleſie quam obtinet, ut decet, in ſpiritualibus et temporalibus regere et gubernare ac in diuinis in dicta eccleſia prout deſiderat intereſſe commode non poſſit et propterea Coadiutore ydoneo indigere plurimum noſcatur ac de tuis fide et ydoneitate plurimum in domino conſiſus cupiat te ſibi, quoad uixerit ac dictam prepoſituram obtinuerit, in perpetuum et irreuocabilem coadiutorem dari et deputari. Quare tam pro parte tua quam dicti Friderici nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut te eidem Friderico quoad uixerit et dictam prepoſituram obtinuerit, in perpetuum et irreuocabilem Coadiutorem in regimine et adminiſtratione dicte prepoſiture dare, conſtituere et deputare aliasque in premiſſis oportune prouidere de benignitate apoſtolica dignemur. Nos igitur qui dignitatum et aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum indemnitati libenter conſulimus uolentes tibi, qui per dilectum filium Nobilem uirum Joachim Marchionem Brandenburgeniſem principem et ſacri Imperii electorem ad nos et ſedem apoſtolicam Orator deſtinatus et ut aſſerit de nobili genere procreatus exiſtis apud nos de nobilitate generis uite ac morum honeſtate aliſque probitatis et uirtutum meritis multipliciter commendaris, horum intuitu gratiam facere ſpecialeſ teque a quibuſuis excommunicationis ſuſpenſionis et interdicti aliſque eccleſiaſticis ſententiis cenſuris et penis a iure uel ab homine quauis occaſione uel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innotatus exiſtis, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes et abſolutum fore cenſentes necnon omnia et ſingula beneficia eccleſiaſtica cum cura et ſine cura, que etiam ex quibuſuis apoſtolicis diſpenſationibus obtines — ac in quibus es ad que ius tibi quomodolibet competit, quecumque quocumque et qualiacumque ſint, eorumque fructuum reddituum et prouentuum ueros annuos valores ac huiusmodi diſpenſationum tenores preſentibus pro expreſſis habentes, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, te eidem Friderico, quoad uixerit et dictam Prepoſituram obtinuerit, perpetuum et irreuocabilem Coadiutorem in regimine et adminiſtratione Prepoſiture huiusmodi cum plena libera et omnimoda facultate, poteſtate et auctoritate omni et ſingula, que ad Coadiutoris officium huiusmodi de iure uel conſuetudine aut alias quomodolibet pertinent faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, cum ad hoc ipſum Friderici Prepoſiti per dilectum filium Theodericum de Rynerz clericum Maguntinenſis diocēſis procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum expreſſus accedat auctoritate apoſtolica tenore preſentium damus, facimus, conſtituimus et deputamus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominice Milleſimo quingentimo quarto decimo, quinto Id. Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Nach dem Originale im Beſitz des Herausgebers.